

EPISTULA LEONINA

CXLVI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLV** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEXTAM (146) !

ARGUMENTA

1. CATALONIAE ADSIMUS (*Schönberger*).....04
2. EPISTULAE CATALANIANAE (*Groß, Schönberger*).....05-07
3. HORAE GENERIS HUMANI STELLARES (*Zweig*).....08-14
4. FUGA IN IMMORTALITATEM FACTA (*Zweig*).....15-19

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quadragesimam sextam.

*Catalonia his diebus est in ore ferê omnium. **Axelius Pulchrimontanus** Professor romanista Bremensis et Francofurtensis stupendo cum successu divulgavit petitionem interretialem, cui subscribant omnes, qui foveant Catalanorum libertatem et independentiam sive autodeterminationem. Ceterum digna lectu est epistula, quam Pulchrimontanus nobis scripsit.*

***Stefani Zweig** opere mirabili, c.t. est »Sternstunden der Menschheit« (i.e. **Horae generis humani stellares**) cum suavissimê affectus sim, studeo has Horas Latinê reddere. Legas, quaeso praefationem primumque capitulum, quae Latinâ veste instruxi et scribas mihi, quidquid in buccam tibi venerit.*

Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 146 tolle et lege et laetare et ... pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominicâ, 19. m.Nov., a.2017



A.1602 pinxit Annibale Caracci.

QUO VADIS, DOMINE? ROMAM VENIO ITERUM CRUCIFIGI.

EVANGELIUM SECUNDUM IOHANNEM 13, 36: Dicit ei Simon Petrus: „Domine, quo vadis?“ Respondit Iesus: „Quo vado, non potes me modo sequi, sequeris autem postea“. Ad haec verba Evangelii Iohannis spectat **MARTYRIUM BEATI PETRI APOSTOLI A LINO EPISCOPO CONSCRIPTUM cap.6.** In: The Ancient Martyrdom Accounts of Peter and Paul. Translated with an Introduction and Notes by David L. Eastman. a.2015 Atlanta, p.42-44: “**6.** ...Ut autem portam civitatis uoluit egredi, uidit sibi Christum occurrere. Et adorans eum ait: **‘Domine, quo uadis?’** Respondit ei Christus: **‘Romam uenio iterum crucifigi.’** Et ait ad eum Petrus: ‘Domine, iterum crucifigeris?’ Et dixit ad eum Dominus : ‘Etiam, iterum crucifigar.’ Petrus autem dixit: ‘Domine, reuertar et sequar te.’ Et his dictis Dominus ascendit in caelum. Petrus autem persecutus est eum multo intuitu atque dulcissimis lacrimis. Et post haec rediens in se ipsum intellexit de sua dictum passione, quod in eo Dominus esset passurus, qui patitur in electis misericordiae compassione et glorificationis celebritate”.

cfr Dieter Rakete: Zauberlehrling und Flüchtlingskrise. Kommentare eines Gutbürgers zur aktuellen Politik von Mai 2016 bis Nov. 2016: „Was würde Jesus dazu sagen? – **EKD-Ratsvorsitzender Bedford-Strohm** und **Kardinal Marx** besuchten die **al-Aqsa-Moschee auf dem Tempelberg – ohne Brustkreuz!** Ihr Verhalten erinnert stark an die Legende, die mit dem bekannten Zitat: **Domine, quo vadis?** ... verbunden ist. ... Der Verzicht der beiden Würdenträger, das Kreuz vor der Moschee zu tragen, ist wahrlich ein abermaliger Verrat an Jesus!“

Cataloniae adsimus – pro iure autodeterminationis pacificae!

Prof. Dr. Axel Schönberger Germanus

[Theodisce](#) – [Catalanice](#) – [Hispanice](#) – [Lusitanice](#) – [Italice](#) – [Francogallice](#) – [Rumanice](#) – [Anglice](#) – Latine – [Sinice](#) – [Russice](#) – [Iaponice](#) – [Arabice](#) – [Bulgarice](#) – [Vietnamitice](#) – [Persice](#) – [Georgice](#) – [Graece](#) – [Turcice](#) – [Hungarice](#) – [croaticice](#) – [polnice](#) – [hindice](#) – [coreanice](#) – [telugice](#) – [suetice](#) – [serbice](#) – [danice](#) – [batavice](#) – [norvegice](#) –

Catalonia maxima totius Europae natio sine re publicā propriā est. Catalani contumaces historiae Cataloniae plus quam millenariae memores sunt. Magnificae litterae artesque Catalanae atque humanitas Catalanorum ad totam Europam pertinent. Lingua Catalana sermo patrius milionum Europaeorum est. Anno Domini 1934 praeses Generalitatis Cataloniae libertatem Cataloniae autonomam separationemque ab Hispania declaravit. Anno Domini 1936 Franciscus Franco, tribunus militaris Hispanus, rem publicam Hispanorum legitimam secundam auxilio Germanorum funditus delere incepit atque belli civilis Hispani auctor fuit, quo bello finito nova periodus durae oppressionis nationis linguaeque Catalanae sequeretur. **Saeculo XXI exercitus Hispanus contra populum Catalanum modo pacifico libertatem suam desiderantem mitti omnino prohibendus est. Europaeae et Europaei omnium terrarum nationumque pro solutione pacifica conflictūs inter Hispanos et Catalanos quam maxime niti debent.**

Ius autonomiae sive autodeterminationis liberae pacificae democraticaeque uniuscuiusque nationis praevalet limitibus legalibus rei publicae quae leges suas variis decies centenis milibus hominum imponere vult, qui se in illā et ab illā tractari sentiunt ac si cives secundae classis essent.

Catalonia est pars integra Europae. Unio Europaea cunctaeque res publicae Europaeae aperte declarare debent nullam vim militarem in hoc conflictu esse adhibendam et novam rem publicam Catalanam ortam ab Unione Europaea eādem amicitā atque comitate acceptum iri quā usque nunc regio Europaea Catalana et eius caput Barcino accipiebantur et quā Hispania quoque accipietur.

d.11 m.Nov. a.2017

Nicolaus Axelio sal.pl.dic.

S.V.B.E.E.V.

Care Axeli,

gratias plurimas tibi ago pro colloquiis Francofurtensibus indicatis et petitione tuâ Catalanianâ missis. Semper maximê aestimabam studia tua Latinitatis flagrantissima.

Bene intellego te linguis gentibusque romanicis deditum Catalanorum sermonem litteraturam cultumque civilem fovere et servare velle. Scilicet me quoque commotum esse verbis anglicis, quae bellula illa puella Catalana fecit de libertate suppressâ et independentiâ sive (ut ais) autodeterminatione pariendâ. Scilicet me quoque indignatum esse de vigilibus publicis, qui Catalanos suffragia laturos fustibus mulcarent.

Tamen quod ad illam petitionem pertinet, confiteor me maioribus scrupulis atque dubitationibus vexari quam ut illi subscribam. Nam nuntios complures accepi, quibus fama separatistarum obscuraretur. Non enim omnia sunt aurea quae fulgent obtutu primo. Audiatur et altera pars. At fortasse tu rerum Catalanicarum peritior omnes istos nuntios scias redarguere.

A variis diurnariis refertur:

1. - *Jordi Pujol* summum separatistam esse virum obscurum compluries propter corruptionem pecuniaeque lavationem accusatum <http://www.mena-watch.com/mena-analysen-beitraege/kalifat-katalonien/>

2. - sermonis Catalanici servationem vel redanimationem fieri methodis parum probis parumque humanis. Separatistas publicê flagitare, ut homines catalanicê non loquentes denuntientur. Damna et impedimenta afferri hominibus linguae catalanicae imperitis.

3. - non solum magistratûs gubernationis, sed eorum cognatos et familiares offendi; discipulos, quorum patres sint vigiles publici, a magistris coram classe filios meretricum appellari. Denuntiationem publicê commendari, suspiciones et dissidia societatis augeri.

<https://www.tichyseinblick.de/kolumnen/aus-aller-welt/katalanische-regierung-verliert-die-beherrschaft/>

4. - Georgium Soros pecuniâ adiuvere separatistas. Pro certo autem habeo ibi, ubi iste polypus pecuniosissimus sub praetextu “societatis apertae philanthropicae” conditae miliardas suas effundat, nil boni posse crescere; Sorosius enim speculator pecuniae potestatisque cupidissimus ubique ferê terrarum oeconomias perturbat, integras nationes reddat pauperes, fovetque immigrationem massalem et turbationes bellaque civilia.

<http://ramblalibre.com/2017/10/02/movimiento-separatista-catalan-lleva-la-cara-de-george-soros/>

5. - Separatistas his 30 annis, ut deminutionem Catalanorum natorum compensarent et immigrationem hominum hispanicê loquentium impedirent,

vehementer fovisse immigrationem muslimorum Maroccanorum Pacistaniorumque. Itaque Cataloniam nunc esse islamistarum radicalium refugium et propugnaculum principale. Haud forte fortunâ attentationem illam tromocraticam diei 17. m.Aug. huius anni ab islamistis (qua 17 minimum homines sunt interfecti) factam esse Barcinone in Cataloniae urbe principali; nam hanc urbem interim post *Meccam* et *Medinam* fieri tertiam ex tribus metropolibus Islamicis: *La Monumental*, arenam quondam tauromachiae Barcinonensem, a phylarcho quodam Catariano (*Tamim bin Hamad al Thani*) emptam pro 2,3 miliardis euronum transformatum iri in meschitam muslimicam giganteam.

<https://www.welt.de/politik/ausland/article167799269/Hier-in-Katalonien-konzentriert-sich-eine-riesige-Gruppe.html>

<https://spanienleben.blogspot.de/2013/08/katalonien-wird-islamisiert-alamierende.html>

<http://eussner.blogspot.de/2015/03/islamisierung-europas-von-katalonien-aus.html>

Hos nuntios, care Axeli, accepi de Cataloniâ scriptos; si tu condicionem huius terrae melius et accuratius habes perspectam, facias, quaeso, me certiolem; libentissimê legam verba tua. Ceterum intimo ex corde exopto, ut pax fiat in Cataloniâ et maneat inter nos, oh care defensor Latinitatis vivae indefesse.

Vale pancratice et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

Nicolaus.

d.Lunae, 13.m.Nov. h.22.22

Axelius Nicolao s. p. d.

His quidem diebus tantummodo raptim tibi respondere possum. Catalani secundum leges omnium gentium libertatem "autodeterminationis" habent. Iura humana sunt iura cogentia, quae a constitutione Hispana absque legibus Hispanis coerceri non possunt. Hispani his diebus plurimum contra ipsorum leges agunt (https://www.peticiones24.com/legalidad_penal_y_proceso_independentista) neque iura humana respiciunt (<https://dezayasalfred.wordpress.com/2017/10/25/un-independent-expert-urges-spanish-government-to-reverse-decision-on-catalan-autonomy/>).

ad 1: Persuasum habeo corruptionem in tota Hispania et Catalonia esse maximam. Scio quidem et Georgium Pujol, olim praesidem Cataloniae, corruptionis accusatum esse. Adhuc, quoad sciam, nondum iudicatus innocens putandus est. Fortasse fecit, quod illi obtrectantur.

ad 2: Contrarium mihi videtur esse verum. Per multa decennia Catalani ut Hispanicam linguam discerent Hispanicæque loquerentur cogebantur. "Damna et impedimenta" propter linguam non alia quam exempli gratia in Germania extant: Si quis magister ludi fieri puerosque Catalanos docere vult, necesse est Catalanice loquatur. Qui tantum Hispanicæ loqui sciat, videlicet a tali

professione ex scholis Catalanis est excluendus, sed semper in scholis Hispanis ei licet docere.

ad 3: Talia, quae ibi narrantur, vice versa apud Partem Popularem (Partido Popular) et apud nationalistas Hispanos, qui Hispanicè "ultra-nacionalistas" vel "ultras" nominantur, fieri videtur, sed non apud Catalanos libertatis cupidos.

ad 4: Georgios Soros quoad sciam ubicumque in Europa pecunia sua praesens est. Mirum non esset, si in Catalonia quoque aliquid moveret. Etsi ita esset, tamen non esset "vis movens" eorum, qui libertatis cupidi novam rem publicam Catalanam propagant.

ad 5: Catalani ex omni orbe terrarum maxima hospitalitate fugitivos acceperunt, partim etiam ex terris musulmanicis. Musulmani hodie multis in terris vivunt; in Germania iam 5,7 % omnium incolarum esse dicuntur, in Catalonia paulo minor est numerus procentualis, sed comparabilis. Inter terrorem islamistarum et Catalanos libertatem desiderantes nihil commune video. Sunt res omnino diversae!

Non video, quomodo effici possit, ut Hispani et Catalani in posterum pacifice in una eademque republica vivant. Quaestio in eo est, utrum separatio Cataloniae modo pacifico fiat - id quod Catalani volunt - an sanguis effundatur. Petitio mea inprimis contra vim (militarem) dirigitur. Catalani ipsi videant quid faciant. Est eorum ius humanum fundamentale.

Quam plurimum vale!

Axelius

d.Solis 19.m.Nov.a.2017 Prof. Axelius Pulchrimontanus nobis misit hanc iunctionem electronicam :

De connexione inter tromocratas islamistas et Matritum

<https://www.heise.de/tp/features/Terrorchef-aus-Katalonien-war-Geheimdienst-Spitzel-3893222.html>

STEFAN ZWEIG

Sternstunden der Menschheit.
Zwölf historische Miniaturen. Stockholm 1943.

HORAE
GENERIS HUMANI
STELLARES

Duodecim imagunculae historicae

quas scripsit

Stefanus Zweig

Opus originale editum est a.1943
Holmiâ in urbe Suetorum principali.

In Latinum convertit

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS




STEFAN ZWEIG

(1881-1942)

Stefan Zweig

Sternstunden der Menschheit



Stefan Zweig	Versio Latina
<i>Vorwort</i>	<i>Praefatio</i>
<i>Kein Künstler ist während der ganzen vierundzwanzig Stunden seines täglichen Tages ununterbrochen Künstler: alles Wesentliche, alles Dauernde, das ihm gelingt, geschieht immer nur in den wenigen und seltenen Augenblicken der Inspiration.</i>	<i>Nullus artifex per integras horas vicens quaternas diei sui cottidiani sine intermissione est artifex: omnia gravia, omnia perpetua, quae ut faciat eidem contingit, semper solum momentis temporis paucis rarisque fiunt inspirationis.</i>
<i>So ist auch die Geschichte, in der wir die größte Dichterin und Darstellerin aller Zeiten bewundern, keineswegs unablässig Schöpferin.</i>	<i>Sic etiam historia, quam maximam poetricam actricemque omnium temporum admiramur, nequaquam est creatrix perpetua.</i>
<i>Auch in dieser »geheimnisvollen Werkstatt Gottes«, wie Goethe ehrfürchtig die Historie nennt, geschieht unermesslich viel Gleichgültiges und Alltägliches.</i>	<i>Etiam in »officinâ Dei mysteriali«, qualem Goetheus historiam appellat venerabundus, immensê multa fiunt inania atque cottidiana.</i>
<i>Auch hier sind wie überall in der Kunst und im Leben die sublimen, die unvergesslichen Momente selten.</i>	<i>Etiam hîc sicut ubique in arte atque in vitâ momenta temporis sublimia et oblivione indelebilia sunt rara.</i>
<i>Meist reiht sie als Chronistin nur gleichgültig und beharrlich Masche an Masche in jener riesigen Kette, die durch die Jahrtausende reicht, Faktum an Faktum, denn alle Spannung braucht Zeit der Vorbereitung, jedes wirkliche Ereignis Entwicklung.</i>	<i>Historia enim annalium scriptrix plerumque socors atque pertinax uni maculae annectit alteram illius catenae ingentis, quae per millennia pertingit, uni rei factae alteram factam, nam nulla tensio fit nisi praeparata, nulla res memoratu digna fit nisi evoluta.</i>
<i>Immer sind Millionen Menschen</i>	<i>Semper miliones hominum ali-</i>

<p><i>innerhalb eines Volkes nötig, damit ein Genius entsteht, immer müssen Millionen müßige Weltstunden verrinnen, ehe eine wahrhaft historische, eine Sternstunde der Menschheit in Erscheinung tritt.</i></p>	<p><i>cuius populi sunt necessarii, ut unus oriatur verê ingeniosus, semper necesse est miliones horarum mundi inanes elabi, antequam apparet hora verê historica, hora generis hominum stellaris.</i></p>
<p><i>Entsteht aber in der Kunst ein Genius, so überdauert er die Zeiten, ereignet sich eine solche Weltstunde, so schafft sie Entscheidung für Jahrzehnte und Jahrhunderte.</i></p>	<p><i>At si qui artifex oritur verê ingeniosus, eius nomen perpetuabitur, si fit talis hora mundi, eadem momentum affert rebus, quae fient decenniis saeculisve sequentibus.</i></p>
<p><i>Wie in der Spitze eines Blitzableiters die Elektrizität der ganzen Atmosphäre, ist dann eine unermessliche Fülle von Geschehnissen zusammengedrängt in der engsten Spanne von Zeit.</i></p>	<p><i>Deinde ut in cuspidē alexicerauni totius atmosphaerae electricitas, ita immensa copia eventuum comprimitur in spatio temporis artissimo.</i></p>
<p><i>Was ansonsten gemächlich nacheinander und nebeneinander abläuft, komprimiert sich in einem einzigen Augenblick, der alles bestimmt und alles entscheidet;</i></p>	<p><i>Ea quae alioquin procedunt unum post aut iuxta alterum, nunc comprimuntur in unum solum momentum temporis, quo omnia determinantur omniaque decerantur;</i></p>
<p><i>ein einziges Ja, ein einziges Nein, ein Zu-Früh oder ein Zu-Spät macht diese Stunde unwiderruflich für hundert Geschlechter und bestimmt das Leben eines Einzelnen, eines Volkes und sogar den Schicksalslauf der ganzen Menschheit.</i></p>	<p><i>una sola affirmatio, una sola negatio, actio praematura aut retardata hanc horam facit centum gentibus irrevocabilem et momentum affert singulo homini et populo necnon cursui fortunae totius hominum generis.</i></p>
<p></p>	<p></p>

<p><i>Solche dramatisch geballte, solche schicksalsträchtigen Stunden, in denen eine zeitüberdauernde Entscheidung auf ein einziges Datum, eine einzige Stunde und oft nur eine Minute zusammengedrängt ist, sind selten im Leben eines Einzelnen und selten im Lauf der Geschichte.</i></p>	<p><i>Tales horae fatales frequentia eventuum dramatica insignes, quibus aliqua decertatio in perpetuum valens in unam tantum diem, unam tantum horam, saepe unam tantum minutam compressa est, rarae sunt in vita singuli hominis raraeque in cursu historiae.</i></p>
<p><i>Einige solcher Sternstunden – ich habe sie so genannt, weil sie leuchtend und unwandelbar wie Sterne die Nacht der Vergänglichkeit überglänzen – versuche ich hier aus den verschiedensten Zeiten und Zonen zu erinnern.</i></p>	<p><i>Nonnullas talium horarum stellarium – hoc nomen iisdem imposui, quia stellarum similes lucentes atque immutabiles praenitent nocti mortalitatis – hoc loco e temporibus zonisque maximè variis studeo in memoriam revocare.</i></p>
<p><i>Nirgends ist versucht, die seelische Wahrheit der äußern oder innern Geschehnisse durch eigene Erfindung zu verfärben oder zu verstärken.</i></p>	<p><i>Nusquam conatus sum veritatem animae eventuum exteriorum interiorumve propria inventione aut decolorare aut amplificare.</i></p>
<p><i>Denn in jenen sublimen Augenblicken, wo sie vollendet gestaltet, bedarf die Geschichte keiner nachhelfenden Hand.</i></p>	<p><i>Nam historia in illis momentis temporis sublimibus, ubi res efformat perfectè, manu emendatrice eget prorsus nullà.</i></p>
<p><i>Wo sie wahrhaft als Dichterin, als Dramatikerin waltet, darf kein Dichter versuchen, sie zu überbieten.</i></p>	<p><i>Ubi ipsa historia regit vera poëtria veraque dramaturga, ibi nulli poetae licet conari illam superare.</i></p>

PRAEFATIONEM

OPERIS

C.T. »*Sternstunden der Menschheit*«

A. 1943 HOLMIAE EDITI

QUOD SCRIPSIT

STEFAN ZWEIG

LATINE REDDIDIT



LEO LATINUS

XX

Fuga in immortalitatem facta (I)

XX

Quomodo inventus sit Oceanus Pacificus

d. 25. September 1510



Vasco Núñez de Balboa

(1475-1519)

Navem instrui

Columbus ex Americâ inventâ primo reversus triumphum per artas vias Seviliae et Barcinonis agens monstraverat innumeras res pretiosas et curiosas, homines cutis rubrae, qui erant phyles usque tunc temporis ignotae, bestias numquam antea visas, psittacos versicolores atque clamorosos, tapiros gravipedes, deinde plantas fructûsque mirabiles mox Europam tamquam patriam inculturos, velut frumentum Indicum et tabacum et nucem cocoinam. Haec omnia hominibus iubilantibus curiosae sunt admirationi, sed par regale eiusque consilarii maximê excitantur nonnullis cistulis corbulisque, quae continent aurum. Non est multum auri, quod a Columbo affertur ex Indiâ novâ, nonnulla tantum ornamenta, quae ab indigenis accepit permutando aut abripiendo, nonnulli laterculi aut nonnullae volae granorum, potius pulveres aurei quam aurum – quae praeda tota sufficit ad aliquot centum summum ducatos cudendos. At Columbus, ut est somniator ingeniosus, qui semper id credit, quod modo credere vult, cuiusque vaticinium itinere marino in Indiam facto gloriosê comprobatum est, quadam cum exaggeratione sincerâ hariolatur haec ornamenta prima tantum exempla auri esse perpusilla. Sibi fideliter nuntiatum esse de venis auri immensis, quae sitae sint in illis insulis novis; ibidem metallum pretiosum in campis quibusdam situm esse superficiei proximum, sub strato terrae tenuissimo. Facile fieri, ut hoc aurum effodiatur palâ vulgari. Ad meridiem spectare regna quaedam, ubi rēges ex poculis aureis bibant aurumque minus aestimari quam in Hispaniâ plumbum. Rex auri semper indigens de alterâ terrâ *Ophir* (אֹפִיר) sibi propriâ audit animo inebriato, adhuc minus novit Columbi insaniam magnificam, quam ut eius promissa addubitet. Statim magna classis instruitur ad alterum iter faciendum, et nunc non iam necessariii sunt conquisitores atque tympanistae, ut nautae conducantur. Cum fama ferat modo inventam esse novam terram *Ophir*, in quâ aurum everri possit manu nudâ, furunt omnes ferê Hispani: aliquot centum, immo aliquot mille homines affluunt iter facturi in terram illam auratam.

At en quam turbidum flumen hominum nunc cupiditate affectorum ex omnibus urbibus vicis viculisque adiectum. Non sôlum sinceri viri nobiles dant nomina participando scuta insignium suorum luculenter

inauraturi, non solum adventurarii¹ audaces militesque fortes, sed Hispaniae quoque faex et sentina in urbes Paludis (*Palos*) atque Gadium (*Cadiz*) invehitur. Fures stigmatè puniti, viarum obsessores atque insidiatores, qui in terrâ auratâ petiverunt artificium lucrosius, debitores, qui creditores suos, mariti, qui effugere voluerunt uxores litigiosas, omnes viri illi desperati perditique, stigmosi, qui quaeritabantur a vigilibus publicis, nomina dant navigando, caterva ex iacturariis insanè permixta, qui firmo animo statuerunt, ut sine morâ fierent divites necnon ut hoc assequantur parati sunt ad omnem vim adhibendam omneque scelus committendum. Affectu tam insano unus alteri fabulas illas suggestivit, quibus Columbus narraverat in illis terris omni viro pâlam humo impingenti sine morâ iam baluces offulgere, ut emigrantium opulentiores famulos mulosque secum abducerent ad magnam vim metalli pretiosi statim abstrahendum. Cui non contigit, ut se adiungeret expeditioni faciendae, is ratione violentâ viam ingreditur aliam; adventurarii intemperantes regiam permissionem parum respicientes proprio Marte instruunt naves, ut quam celerrimè transeuntes nihil nisi aurum rapiant ingenti cum avaritiâ; uno ictu Hispania liberata est ab omnibus turbatoribus et furciferis periculosissimis.

Gubernator Hispaniolae (quae postea appellata est Insula Sancti Dominici sive *Haiti*) terrore correptus videt istos advenas ingratos insulam sibi mandatam inundantes. Per annos singulos navibus afferuntur nova onera et homines etiam etiamque immaniores. At haud minus spe decepti sunt advenae, nam hac in insulâ nequaquam aurum viae insitum est solutum nec indigenis miserrimis, in quos invehuntur more bestiarum, ne granulum quidem possunt abripere. Itaque istae catervae aut desides tempus terentes aut raptantes circumvagantur, ut terrori sint et Indianis miseris et gubernatori. Qui frustra conatur illos facere colonos eo quod agros pecoraque attribuit idque abundanter, etiam pecora humana, scilicet sexagenos septuagenosve indigenas cuicumque attribuit servos. At et viri summo loco nati et viarum olim obsessores parum cupiunt agros colere. Non eo fine transierunt, ut triticum colerent et pecora pascerent; pro eo, ut sata messemque curent, vexant Indianos miserrimos – paucis annis totum populum ad

¹ +**adventūrārius**, -iī m. (vox mediaevalis) orig. *Abenteurer*; angl. *adventurer*. cfr +**adventūrōsus**, -a, -um orig. *abenteuerlich*. angl. *adventurous*.

interneccionem interempturi – aut sedent in gurgustiolis. Brevi tempore transacto plerique tam vehementer obaerati sunt, ut non possint, quin post bona vendant etiam amicula petasosque ultimamque camisiam mercatoribus faeneratoribusque inevitabiliter atque desperabiliter obnoxii.

Itaque omnes isti homines perditissimi in Hispaniolâ degentes libenter audiunt *Martinum Ferdinandum de Enciso* iuris peritum, virum huius insulae bene famatum a.1510 navem instruere, quâ novis cum nautis adiuvet colonos *terram firmam* colentes. *Alfonsus de Ojeda* atque *Didacus de Nicuesa*, duo adventurarii illustres, a *Rege Ferdinando* a.1509 acceperant privilegium prope Fretum Panamense et oram Venetiolae coloniam condendi, quam aliquatenus praeproperê appellant *Castiliam Auri*; vir ille iuris peritus, imperitus mundi hōc nomine sonoro inebriatus mendaciunculisque infatuatus integram suam possessionem coniecerat in hoc inceptum exsequendum. At e *Coloniâ Sancti Sebastiani* ad Sinum *Urabae* modo conditâ nullum venit aurum, sed nihil nisi vox opem implorantium. Dimidia enim pars nautarum cum indigenis pugnans absumpta est, altera fame vexatur mortiferâ. Ut pecuniam in inceptum coniectam servet, Encisius in aleam dat possessionis suae partem alteram ad expeditionem auxiliarem parandam. Vix cum audiverint Encisium egere militibus, omnes Hispaniolae viri desperati, omnes grassatores occasione nacti cum illo volunt fugâ salutem petere. Ut abeant, ut creditores effugiant severique gubernatoris vigilantiam! At creditores cavent attentissimi. Qui cum animadvertant debitores suos gravissimos a se effugere velle, ne umquam revideantur, gubernatorem urgent, ne quem sinat proficisci nisi habeat permissionem extraordinariam. Gubernator autem id comprobat, quod optant creditores. Vigiliae fiunt severiores, navis Encisii iubetur manere extra portum, naviculis gubernationis circumvectantibus impeditur, ne qui vir non vocatus subintroeat navem Encisii. Omnes autem illi homines perditissimi, qui mortem minus timent quam laborem sincerum aut turrim obaeratorum, animis immensê exacerbatis vident navem Encisianam sui expertem velis plenis profectam iter facturam adventurosam.

NARRATIONEM

C.T. »*Flucht in die Unsterblichkeit*«

QUAM SCRIPSIT

STEFAN ZWEIG

INSERUITQUE OPERI

C.T. »*Sternstunden der Menschheit*«

A. 1943 HOLMIAE EDITO

LATINE REDDIDIT



LEO LATINUS

Altera pars sequetur.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM SEXTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Dominicâ, 19. m.Nov. a.2017

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>